

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0291

0289

0295

0285

0300

0280

0340

0240

0390

0190

0790

Ende

Anfang

279

reversus est Jerusalem caesis et amissis ex suis non paucis.
Fiunt haec nota Romano Pontifici Eugenio III., qui viros reli-
giosos ad diversas occidentis partes direxit ad denuntiandum
Christianorum orientalium pressuras, inter quos vir immortalis
memoriae beatus Bernhardus abbas ad execrationem eligitur,
qui tanto fervore praedicavit, ut tam nobilium quam plebis
favor gratuitis exhortationibus ejus spontaneum praeberet as-
sensum et iter versus Jerusalem compromiserunt. Illustres
praeterea viri, dominus Couradus II., genere Suevus, Romano-
rum imperator, et dominus Ludovicus, rex Francorum, cum
multis utriusque populi principibus iter in orientem arripiunt,
erantque gravissimi exercitus. Unde in imperatoris exercitu
solo erant equitum loricatorum ad septuaginta millia, absque
peditum copiis, quorum non minor numerus fuerat in comitatu
regis Francorum Ludovici. Quibus si fuisset propitia Domini
gratia, non solum Soldanum Iconii et Asiae minoris, qui po-
tentissimus erat, verum universas orientis provincias nomini
christiano faciliter subjugassent. Sed eorum occulto divino judi-
cio sprevit famulatum Deus nec acceptum habuit munus,
quod indignis fortasse manibus offerebatur. Unde Dominus
tradidit eos in manus infidelium Turcorum et Sarracenorum, et
vexati in via ab eis, prostrati, imminuti, cum multa infelicitate
venerunt Jerosolymam. Convenientes igitur in unum tres isti
potentissimi, imperator Romanorum Couradus, rex Franciae
Ludovicus et rex Jerusalem Balduinus II., universi eorum
principes, comites, barones et milites tractare coeperunt,
quod optimum et magis expediens videretur ad christiani no-
minis gloriam et regni Jerosolymitani incrementum. Sed nec
huic consilio favor divinae miserationis affuit, unde a Damasco
civitate, quam capere conabantur, cum ignominia magna re-
cesserunt, et reversi Jerosolymam Ascalonem obsidere deli-
berabant, sed post multa verba ille etiam conceptus abortum
passus est. Videntes autem, imperator scilicet et Franciae
rex, Dominum non esse cum eis, parato navigio ad propria
rediere. Ab ea igitur die coepit Latinorum orientalium mani-
feste deterior fieri conditio. Nam quorum sola nomina prius
hostibus fidei erant formidini, (278 A) et nunc provinciam
tantorum principum sine damno despicerant, unde in tantam

